



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

13. Cæsare Avgvsto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multi-
que & magni honores triumphum ipse distulit, mesta civitate cla-
de Variana. Et si hæc clades exitium imperio non attulerit, in-
gens tamen damnum ex eâ consecutum: nam ut Flor. l. c.
Hac clade factum, ut imperium, quod in litore Oceani non steterat,
in ripâ Rheni fluminis staret.

13. CÆSARE AVGVSTO. Paucis ante obitum
ejus annis, cum bellum Pannonicum confectum esset, & plu-
res fulsissent cometæ Tac. 1. An. Bellum eâ tempestate, quâ vi-
vere desijt Augustus, nullum nisi adversus Germanos supere-
rat: abolenda magis infamia ob amissam cum *Quinctilio Varo*
exercitum, quàm cupiditate proferendi imperij. Vellejus. l. 2.
Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello
Cesar manum, cum intra quinque consummati operis dies funeste
ex Germaniâ epistola cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium,
totidemque alarum & sex cohortium. Dio. l. c. celum sæpius ar-
dere apparuerat, multi simul cometæ effulserant Manilius l. 1.

*Cum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum sanguine campos,
Arserunt toto passim minitanti mundo
Lumina.*

De tempore verò acceptæ cladis variant authores:
Lindebrochius, in hist. Armin. & Helmvicus, in teatro. im-
putant ei annum à nato Christo 12. Imperij Augusti 52. &
conditæ Urb. 762. sub P. Cornelio Dolabellâ, & C. Junio
consulibus: quibus de anno Christi Baronius, & plures con-
sentiunt; et si Broverus, Horriou & Calvisius 9. & alij 10. po-
nant. similiterque, juxta Pighium tom. 3. an. lib. 18. ac Sigo-
nium. comment. in Fastos annum urbis cond. vel 761. vel
763. consulibus Sulpitio Camerino & Poppæo Sabino, ut Bro-
vero & Stangevolio placet. Quod spectat ad tempus anni,
longius

longius ætatem processisse, ex Vellejo colligitur: *Mediam ingressus Germaniam, jurisdictionibus agendæque pro tribunali ordine, trahebat æstiva.* Diem denique cladis tam memorabilis, quem Augustus *mæstum ac lugubrem quot annis habuit, IV. Non. Sextil.* quo malè ad Cannas pugnatum est, qui Be-roaldum sequuntur, assignant, eò, quod Florus. lib. 4. cap. 12. scribat. *Varus res perditas eodem, quo Cannensem diem Paulus, & fato est & animo secutus.* Putarunt enim sensum horum verborum esse, Varus eo die perijt, quo Paulus Cannensi prælio. Verùm, ut Casaubonus in Suct. de Aug. c. 23. animadvertit, diem pro clade eleganter Florus usurpavit. Quare frustra dies quaeritur, quem veteres historici quasi ex compacto filuerunt.

14. ARMINIO DVCE. Flor. l. 4. c. 12. *Duce Arminio ardua corripuit.* Strabo. lib. 7. *Arminij, qui belli dux fuerat Cheruscis, cum violatis pactis Varum Quinctilium invaderent.* Tacit. 2. An. *Vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat, desertus tamen ab Ingvio mero fuit, non aliam ob causam, quàm quia fratris filio juveni patrus senex parère dedignabatur.* Tacit. 2. Annal. Dux igitur Arminius gentis suæ, & sociorum ejus fuit, omnibus hujus muneris partibus egregiè functus, imò & militis, qui manu, voce, vulnere sustentabat pugnam.

15. A CHERVSCIS. Inter Germaniæ populos, à quibus Variana strages edita, eminuere Cherusci, validissima tum notio, à Cæsare. lib. 6. Vellejo. lib. 2. Tacito. l. 1. 2. 11. 12. 13. Annal. & de morib. Germ. Floro. l. 4. c. 12. Dione. l. 54. 55. 56. descripta celebratæque. Non omnes inter Albim & Visurgim, ubi vera & præcipua sedes eorum fuit, & sylvæ *Bacenis* pro nativo muro objecta, Cheruscos à Suevis, Suevósque

E

vósque